



Informazioni su questo libro

Si tratta della copia digitale di un libro che per generazioni è stato conservata negli scaffali di una biblioteca prima di essere digitalizzato da Google nell'ambito del progetto volto a rendere disponibili online i libri di tutto il mondo.

Ha sopravvissuto abbastanza per non essere più protetto dai diritti di copyright e diventare di pubblico dominio. Un libro di pubblico dominio è un libro che non è mai stato protetto dal copyright o i cui termini legali di copyright sono scaduti. La classificazione di un libro come di pubblico dominio può variare da paese a paese. I libri di pubblico dominio sono l'anello di congiunzione con il passato, rappresentano un patrimonio storico, culturale e di conoscenza spesso difficile da scoprire.

Commenti, note e altre annotazioni a margine presenti nel volume originale compariranno in questo file, come testimonianza del lungo viaggio percorso dal libro, dall'editore originale alla biblioteca, per giungere fino a te.

Linee guide per l'utilizzo

Google è orgoglioso di essere il partner delle biblioteche per digitalizzare i materiali di pubblico dominio e renderli universalmente disponibili. I libri di pubblico dominio appartengono al pubblico e noi ne siamo solamente i custodi. Tuttavia questo lavoro è oneroso, pertanto, per poter continuare ad offrire questo servizio abbiamo preso alcune iniziative per impedire l'utilizzo illecito da parte di soggetti commerciali, compresa l'imposizione di restrizioni sull'invio di query automatizzate.

Inoltre ti chiediamo di:

- + *Non fare un uso commerciale di questi file* Abbiamo concepito Google Ricerca Libri per l'uso da parte dei singoli utenti privati e ti chiediamo di utilizzare questi file per uso personale e non a fini commerciali.
- + *Non inviare query automatizzate* Non inviare a Google query automatizzate di alcun tipo. Se stai effettuando delle ricerche nel campo della traduzione automatica, del riconoscimento ottico dei caratteri (OCR) o in altri campi dove necessiti di utilizzare grandi quantità di testo, ti invitiamo a contattarci. Incoraggiamo l'uso dei materiali di pubblico dominio per questi scopi e potremmo esserti di aiuto.
- + *Conserva la filigrana* La "filigrana" (watermark) di Google che compare in ciascun file è essenziale per informare gli utenti su questo progetto e aiutarli a trovare materiali aggiuntivi tramite Google Ricerca Libri. Non rimuoverla.
- + *Fanne un uso legale* Indipendentemente dall'utilizzo che ne farai, ricordati che è tua responsabilità accertarti di farne un uso legale. Non dare per scontato che, poiché un libro è di pubblico dominio per gli utenti degli Stati Uniti, sia di pubblico dominio anche per gli utenti di altri paesi. I criteri che stabiliscono se un libro è protetto da copyright variano da Paese a Paese e non possiamo offrire indicazioni se un determinato uso del libro è consentito. Non dare per scontato che poiché un libro compare in Google Ricerca Libri ciò significhi che può essere utilizzato in qualsiasi modo e in qualsiasi Paese del mondo. Le sanzioni per le violazioni del copyright possono essere molto severe.

Informazioni su Google Ricerca Libri

La missione di Google è organizzare le informazioni a livello mondiale e renderle universalmente accessibili e fruibili. Google Ricerca Libri aiuta i lettori a scoprire i libri di tutto il mondo e consente ad autori ed editori di raggiungere un pubblico più ampio. Puoi effettuare una ricerca sul Web nell'intero testo di questo libro da <http://books.google.com>

ASSERTIONES
EX VNIVERSA PENE NA
TVRALI PHILOSOPHIA DE-
 promptæ, quas ante studiorum instaurationem defendet nobilis et eruditus adolescens Nicolaus Przinovvsky, Præsides
 R. P. M. Antonio Balduino, Societatis I E S V in Academia
 Dilingana Professore
 ordinario.



DILINGAE
 Excudebat Sebaldus Mayer.
 Anno 1571.

REVERENDISSIMO ET ILLV-
STRISSIMO PRINCIPI, DOMINO GVIL-
HELMO, EPISCOPO OLOMVCE NSI, MECOE-
nati suo perpetua obseruantia colendo, NICO-
LAVS PRZINO VVSKY

S. P. D.



*Præclare ac sapienter Philosophorū omnium facile princeps
Aristoteles, dixisse mihi videtur, Philosophiā mirā quadā,
et pura, atq; cōstanti delectatione esse reserā. Quid enim il-
la scientia vel ad iucunditatem vberius, vel ad fructū et
utilitatem accommodatius, vel ad humanæ mentis digni-
tatem illustrius inueniri aut excogitari posse censendum est? que in diui-
narium atq; humanarū rerum accurata peruestigatione, et in sui ipsius excel-
lenti quadam cognitione consistit: quæ hominū mentes tetra errorum ca-
ligine circūfusas, præclaro diuinæ illius sapientiæ splendore collustrat, ani-
mosq; nostros, omnium in nobis cupiditatum ardore restincto, ad virtutis præ-
stantissimæ disciplinam inflammato studio cōsestantiam exsuscitat. Ex quo
etiam factū est, Princeps Illustrissime, vt ego, partim iniuitata tua in me li-
beralitate atq; munificentiā incitatus, partim natura ipsa duce impulsus, ani-
mū meū præclarissimis Philosophiæ disciplinis merito excolendū esse put-
auerim. Cū autē iā studiorū meorū curriculo prosperè satis feliciterq; cōsecto,
optatū diuturni laboris finem atq; exitū, diuino beneficio effem assecutus, et
maiorū meorum voluntate imperioq; adductus, nonnullas, easq; præcipuas
quæstiones, ex omnib. naturalis Philosophiæ libris collectas, pro more ac in-
stituto florentissimæ huius Academiæ, publicè defendendas suscepissem: non
indignū sum arbitratus, easdem tibi Præsuli amplissimo, et insigni summa
doctrinæ ac eruditionis gloria præstantissimo, inscribere: quod et meum in te
singularis obseruantia, atq; grati animi studiū declarare, et tuæ, de meo in
literis progressu, iā pridè conceptæ expectationi, pro ingenij tenuitate respon-
derem. Nec verò tibi quacquā gratius, acceptiusue accidere posse putandum
est, qui vt Morauiam, olim rerū diuinarū cultui atq; venerationi mirificè
deditā, nūc verò pestiferis hominū scelestissimorū cōsilijs ab hoc tam salu-
tari officio auocatā, ad antiquæ disciplinæ seueritatem, morumq; sanctitatē
reduceres, clarissimā totius Præsentissimæ huiusq; virorū admirabili vitæ
integritate, omniquæ scientiarū genere ornatissimorū præsidio, ceterā atq; mu-
nitam esse voluisti. Abste autē summis precibus contendō, vt hoc qualecum-
que laboris nostri munus, ea, quæ me semper prosequi visus es, humanitate
atq; beneuolentiæ excipias. Vale.*

ASSERTIONES PHYSICÆ.

Ex libris Physicorum.



BHILOSOPHORVM PRINCEPS ARISToteles, rerum omnium, quæ sub aspectum cadunt ac in-
teritui sunt obnoxie, primas causas inquirens : initiò
statim naturalis contemplationis falso illi, communis-
mo tamen ac trito inter Philosophos principio, Ex ni-
hilò nihil produci subscribens: primam quandam materiam, Opifici mundi
coeternam, ex qua tanquam ex luto figulus corporea quæq; primò effinge-
ret, constituit. Quod sanè non obscurum est indicium, Philosophum rerum
(saltem corpore constantium) ex nihilo productionem ignorasse. Hæc tamen
naturali ratione cognosci posse, arbitramur.

Tria sunt rerum, quæ natura constant, principia: Materia, forma, priua-
tio. Materia, quamvis singularum rerum naturalium fons sit & seminarium:
non est tamen pura ac nuda in ente potentia, sed ut propria quippiam res
ipsa coherens: quapropter & omni-forma vacua, cogitatione comprehendì
potest. Licet autem nullam coeuvam formam sortita sit: indefinitas tamen
dimensiones sibi connatas & congenitas habet.

Forma, præsertim quæ efficients opera ex materia educitur, re ipsa nec
sola loco moveri, nec in partes diuidi, nec sine materia subsistere potest: est
tamen totius complexi pars præcipua, materia nobilior, cui non nisi medijs
affectionibus, quæ primas qualitates appellamus, copulari potest. Plures
autem formas inuicem subordinatas uni composito tribuere, nihil habet ab-
surdum. Priuatio, quæ formæ naturalis absentiam dicit, in materia apta susci-
pere ipsam, sola mentis cogitatione à materia seiungitur.

Nature ratio, quæ Aristoteli hæc est: principium & causa ut moueatur
& quiescat id in quo primò, per se, & non per accidens inest: non caducis
modò & mortalibus: sed etiam firmissime celi machine, & anime ratione
prædite pulcherrimè congruit. Omnium porrò motuum principium passiuum,

A 2 unum,

um, in corpore, in his quæ aliquo motu mouentur reperitur: actiuum non item: Nulla res siquidem habet in se principium actiuum sue generationis: nec corpus simplex sui quidem interitus.

V.

Causarum genera licet recte quatuor tantum ab Aristotele numerentur, materia, forma, finis et efficiens: exemplarem tamen causam, quam Idem Plato uocauit (estq; forma quædam à sensibus remota, immobilis existens in mente diuina, rerum omnium quæ producuntur ἀρχὴ τελευτῆς) non penitus à causarum numero reijciendam, sed ad formam et finem potius reducendam existimamus.

VI.

Agentia naturalia quamuis nunquam non finem suum assequi conentur, non semper tamen illum attingunt: sed interdum impedita, ad monstra conficienda digrediuntur. Est enim monstrum τῶν πᾶσι καὶ ἁμαρτίας, seu potius peccatū nature, propter aliquem finem agentis, quo tamen ob interueniens impedi- mentum frustratur.

VII.

Fortuitus effectus, si perennem summi rerum moderatoris prouidentiam intueamur, nullus inuenitur: respectu tamen nature, à scopo suo quandoq; aberrantis, et hominis, præter cuius mentem et intentionem plurima contingunt, casum et fortunam esse non negamus. Est enim fortuna, causa per accidens, ob aliquem finem ex electione operans, neq; ut semper, neq; ut plurimum similem effectum producat. Casus uero, inopinatus ex confluentibus causis, in his que ob aliquid geruntur, euentus.

VIII.

Fatum (quod inherens in rebus mobilibus seu causis secundis dispositionem, per quam diuina prouidentia suis quæq; necesse ordinibus, Boëtius definiuit: ab alijs uero pro ipsa Diuini numinis prouidentia sumitur) dari, nulli dubium est. Illud uero fatum quod Astrologi μαρτυρῆς, et Iudicarij ex uario syderum aspectu ac concursu constitutum, ἀπορροπῆς uocant, certosq; et inuitabiles rerum euentus prænunciare, etiam in actionibus liberis, uolunt, non solum cum fide pugnat, sed et præter paucos Stoicos nullus ferè concessit.

IX.

Motus, quem triplici finitione explicatum reliquit Aristoteles, motorem in sua ratione non includit, nec sine tempore et quadam partium mobilis successione fieri potest, prima ac ultima parte carens. Omne autem quod mouetur, certis limitibus comprehensum est: nihil enim datur, aut mole, aut magnitudine infinitum, nec quidem dari posse arbitramur.

Locus

Locus, qui corporis ambientis extrema et immobilis superficies nuncupatur, uere et proprie tantum corporibus simplicibus competit. Vltimus autem calorū orbis, ac Dei internuncij, quos intelligentias Philosophus appellat, quod nulla superficie circum scribantur, merito ab hac loci ratione excluduntur: beatas tamen illas mentes definitis in locis esse, uel sedes mutare non inficiamur. Spacium uero omni corpore spoliatum nullum in hac rerum uniuersitate reperitur, quale si esse fingamus, nullum in eo corpus moueri posse censemus.

X.

Tempus est numerus cuiuscumque motus, sola cogitatione ab ipso motu differens, cuius ope fluxorum omnium diuinitatem describimus: ad ea tamen metienda celesti tempore maxime utimur, quod illud continuitate et constantia reliquis præcellat. Res uero, que perpetuam et immobilem naturam sortite sunt, euo et æternitate mensurantur.

XI.

Cum certum sit omnibus atque perspectum, Aristotelem octauo libro Physicorum non recte (ut existimabat) mundi ac motus æternitatem probasse: queri nihilominus solet in Scholis, potuerit ne mundus ab æterno fieri? Cui questioni respondemus: permanentes quidem res, et ab omni mortali concretionem liberas, ab æterno fieri potuisse: At que mutua successione speciem suam conseruant, minime: quare cum ex duobus istis mundus conflatus sit, totus ab æterno fieri non potuit.

XII.

Ex libris de Cælo et Mundo.

Quoniam coeleste corpus, nature dignitate, figura præstantia, molis magnitudine, motus nobilitate, ac durationis perpetuitate, omnibus reliquis corporibus antecellit, quintam quandam et à quatuor Elementis diuersam habere naturam atque substantiam, ut à Philosopho disertè et acutè probatur, rationi et ueritati ualde consonum est.

XIII.

Hoc corpus nobilissimum, quamuis illustres admodum Philosophi naturæ uel concretionis experti esse uoluerint: eorum tamen sententiæ libentius subscribimus, qui cælum materia, ceteris nature uel procreatis rebus minime communi, et perfectissima ac insolubili forma conflatum esse censuerunt.

XIII.

Quamuis uero anima, que ipsius forma sit et ἰτελίχασ, cælum omni-

XV.

ad causam: motricem tamen mentem extrinsecus illi iugiter assistere, eiusq;
motum efficere ac dirigere fatemur. Ceterum loorū sex ille differentie, dex-
trum, sinistrū &c. non re ipsa, sed ratione nostri tantū celis inesse asserimus.

XVI.

Deum prepotentem primum orbem perse, nullo mediante mouere, rati-
oni consonum existimamus: Ceteros uerò orbis, & singulos à propria in-
telligentia cieri, & ab ipso quoq; Deo, tamquam efficiente & sine moueri,
omniumq; motuum uelocitates certo tempore præfinitas esse, asseueramus.
At uirtus qua secundi motores suos celos absq; omni corporeo contactu
agitant, re ipsa ab intellectu & uoluntate ipsorum non discrepat.

XVII.

Cœli motus omnis fatigationis expertus est, & æquis temporibus equalia
semper spacia percurrit: nec ut mouatur, terram quiescentem deposcit:
Sed ideo quies terra tributa est, ut actiones celi facilius in se recipiat.
Cum uerò motus per se nullam calefaciendi uim habeat, non alia de causa
motus celi calorem efficere dicitur, quàm quòd astra, suo lumine calefaciē-
tia, circumducant.

XVIII.

Lumen est realis qualitas, per se absq; alterius opera præsidio calorem
efficiens. Proinde autem est organum coelorum ac diuinarum mentium,
quæ supernis motionibus hæc inferiora gubernant, ad omnes effectus produ-
cendos ita concurrunt, ut præter lumen ipsum occultas alias uirtutes, quas
influentias uocant, non admodum putemus necessarias.

XIX.

Cum (Philosopho teste) uis propagandi rebus caductis non ob aliam cau-
sam à natura sit ipsa, quàm ut ea, quæ singula diu subsistere nequeunt, sensu
per sui simile relinquunt, ut eternitatem primi motoris hoc saltem modo
assequantur, celestia corpora, quoniam ab omni mortali concretionem remo-
ta sunt, non numero tantum ut illa, sed specie ac formis inter se distinguun-
tur. Astra uerò cum orbibus quibus inhaerent eiusdem esse concretionis &
naturæ, admodum uero simile uidetur.

XX.

De numero celorum illam Astronomorum sententiam maxime proba-
mus, quæ decem sphaeras agitationi subiectas constituit: uisq; perlibenter
præter geminum motum (unum ab oriente in occidentem super mundi po-
los, quo primum orbis reliquos 24. horts secum rapit: alterum ab occiden-
te in orientem super zodiaci polos, quo nona sphaera & planetarum auges
deferentes, pari lentioq; motu: errantium uerò excentrici super polos pro-
prios, uelociori sed inæquali agitatione cidentur) & trepidationis quoq; motum
firmas

firmamento concedimus. Singulis uerò planetis plures orbes tribuere, quod
vōmōra uariorum motuum nos compellunt.

Astra omnia lucem aliquam sibi congenitam habere, natura ipsorū præ
stantia persuadet: à sole nihilominus, tamquam uberrimo lucis fonte, omnes
collustrantur et lumen accipiunt, quod in hæc inferiora diffusum suus in ip
dem effectus producit. Horum numerus etsi mortalibus incognitus sit: quæ
tamen sui magnitudine discerni possunt: uix ultra. 1.022. tam a ueteribus
quàm recentioribus astronomis numerantur.

XXI.

Ex libris de ortu et interitu.

Generatio uia quedam est in naturam, et totius in totum mutatio. Vnius
enim interitum, alterius esse generationem testatur philosophus: quod ta
men propriè, non tam in concretorum quàm in simplicium sive elementa
rium generatione usu uenit. Ceterum, id quod generatum est forma in mate
ria, adeoq; in omni generatione subiectam aliquod præexistere, et postin
teritum aliquid item relinquere necesse est. Non nuda autem materia, sed et
affectiones nonnullæ cum formis quibusdam substantialibus, quæ ei quod po
nit inerant, saluæ et integre in ipsam quod generatur, transferri possunt.

XXII.

Accretio est motus uiuentis factus à uegetanta anima ex alimenta extrin
secus appposito: quo motu corpus animalium, ratione uixiusq; sui principij,
sumit incrementum. Absoluto autem incremento, idem numerus uiuens ad
huc remanet, nec enim materia, quon in ortu accipimus, tota perditur,
sed in præcipuis saltem partibus retinetur.

XXIII.

In cæteris uiuentibus, præterquam in homine, cum accrescit aut truncatur
pars corporis: anime quoq; pars emori aut deperdi necesse est: manet ni
hilominus eadè ac impartibilis anima, quæ in natura uires et operationes eius
nō immutentur, etiã si pars eius aliqua secundum extensionem amittatur: homini
autem si pars corporis amittatur, uel accrescat, ipsi propterea nulla anime
pars substantialis uel accedit, uel decedit, sed illud tantum esse formale sentien
di et uegetandi, quod à rationali anima talis pars acceperat, uel accipiet.

XXIII.

Barum concretarum principia quatuor numerantur: terra, aqua, aer, et
ignis, ex quibus primò inexistens (tanquam uoces ex elementis) res compo
nuntur: et in quæ ultimo resoluntur. Horum ignis calidus est et siccus: Aer

XXV.

A 4 calidus

calidus & humidus: Aqua humida & frigida: Terra frigida & secca. Singula uerò suas qualitates habent maxime intensas, quãuis eas nõ aequè efficaces in omnibus experiamur: & licet ex quouis elemento, quoduis erui possit, non tamen facilius in ijs que communem aliquam innatam affectionem habent, quàm que utrâq; pugnant, id perfici putamus.

XXVI.

Praeter supradictas autem affectiones, quibus haec corpora mutuo ceerant, alias quoq; in eis uideas, nimirum leuitatem, qua rectis motionibus ignis & aer sursum, & grauitatem qua aqua & terra deorsum serantur: inter quas tamè & supra nominatas hoc interest, quòd ille nullo mediante, materia prime; haec uerò formis mediantibus inhereant Elementis; in his, que nos mine conueniunt, natura disident; in illis, contrã.

XXVII.

Elementa uerò his internis principijs ita mouentur, ut nihil tamen ab ipsis patiantur: neq; seipsa promouere dicendi sunt, cum medium, per quod feruntur, dumtaxat propellant, ac illud secando sibi transitum parent: medium uerò ita secatum, ad euitationem uacui uiolenter se concludens, illa impellit & promouet: sicut & uiolentus motus proiectorum, non ab aliqua uirtute per manum illis impressa, sed ab aere uiolenter impulso perficitur.

XXVIII.

Cum permagna inter antiquos & recentiores Philosophos sit dissensio: Num quatuor Elementa in corporum concretionè, suis formis & naturis permanentibus, an uerò ijs peremptis, misceantur: nos tam insignium Philosophorum & medicorum sententijs, quàm rationi & experientiae consentaneum existimamus, elementorum non solam materias & affectiones, sed etiam proprias formas in mixtis corporibus actu consistere.

XXIX.

Verum quia mixtio (secundum Aristotelem) est mistibilium alteratorum unio, dum haec quatuor corpora commiscantur, actione mutua corrumpunt ad inuicem excellentias suas, ut sis quandam *συνμυστησις* & constitutionem educendae formae idoneam efficiant. Siquidem elementorum formae cum mediam quandam naturam inter substantias perfectas & qualitates obtineant, cum utrisq; etiam quodammodo communicant: cum illis quidem, ut integrè per se subsistant; cum his uerò, ut ad intensiorem & remissionem suarum affectionum, plures uel pauciores gradus sua natura fortiantur.

Ex

Exlibris de Anima.

Communis animæ definitio, quam philosophus secundo libro uult esse **XXX**
ἕντελέχεια seu actum corporis organici, potentia uitam habentis: non
nutrientem modò & sentientem, sed etiam rationalem hominis animam cõ-
plectitur.

Facultates quibus anima suis per fungitur muneribus, quinq; recensentur. **XXXI**
ab Aristotele: uegetatrix, sentiens, appetens, secundum locum mouens, et in-
telligens. quæ quidem omnes soli animæ tanquam proprio subiecto inbæ-
rent: reliquæ tamen præter intellectum, non absolutè in animæ substantia
seu essentia sustentantur, sed potius quatenus est actus diuersarum partium
corporis organici, quibuscum huiusmodi munera exercere possit. quam ob
causam toti quoq; composito passim ascribuntur.

Hæ uerò facultates qua parte animam concernunt, nec inter se, nec ab **XXXII**
anima re ipsa distinguuntur: qua uerò actus suos & instrumenta respiciunt,
re quidem inter sese: sed sola ratione ab anima differunt: ipsa enim anima ut
actus est & esse largitur corpori, nomen animæ retinet: ut uerò talis naturæ
gradus est, qui intrinsicè & formaliter (ut uocant) plurima operandi uim
habet, facultas dicitur. Cùm autem per diuersa organa quibus esse tribuit,
discrepantes actus producat, multarum quoque & inter se distinctarum
facultatum nomen ac rationem inducit. A corde autem, quæ sedes est
animæ, & à quo spiritus & calor, quibus anima functiones suas exercet,
ad omnia membra diffunduntur, corporatæ omnes facultates principium et
originem trahunt.

Vegetatrix anima, quæ uitam & esse tribuit animanti, tribus præcipuis **XXXIII**
facultatibus exornatur, alendi scilicet, augendi, & simile sibi procreandi:
quarum priores, esse & bonum cuiusq;, postrema uerò, commune et semper
esse procurat. In hac facultate exercenda, tanquam proxima causa uititur se-
mine, quod est ultimi alimenti excrementum utile, ex corde & cerebro præ-
cipuè decisum.

Sensum agentem ab animæ facultate penitus excludimus. An uerò for- **XXXIIII**
mæ seu similitudines aliqua, quas sensibiles species dicere solemus, quibus ea
quæ eminus percipiuntur ad organa sensus per medium deferantur, ad ope-
rationem sensus sint necessaria, non omnino perspicuum est. *Authoritas
quidem*

quidem eorum qui illas danti asserunt, ut easdem concedamus, uehementer nos hortatur: rationes uero aliorum qui eas e medio tollunt, non minorem forte persuadendi uim habent. Nos igitur utranque partem ueluti probabilem proponimus: quamuis ut illas negemus, magis inclinemur.

XXXV.

Actus sentiendi, quam sensationem uocant, (cum non sit illa alteratio qua sensus immutatur ab obiecto, sed cognitio illius alterationis) non fit ab obiecto, sed ab ipsa anima sentiente, ab obiecto excitata. Nec uero cum Epicuro, sensum nunquam non uerum esse: nec cum nonnullis Academicis, eundem semper falli: sed ex philosophi sententia, eundem si desint requisite conditiones, falli posse: illis autem adhibitis, aut nunquam aut rarius errare, minus tamen in proprio, quam communi obiecto diiudicando, affirmamus.

XXXVI.

Animus rationis particeps, substantia quaedam est inchoata, spiritalis, tanquam forma et *εὐταλὴ χεῖρα* humano corpori, uel seminis elaborato, coniuncta, estque singulis hominibus suis proprius, qui interitus legibus minime est subiectus. Complectitur autem tanquam forma perfectior, et uegetatrix et sentientis anime uires, ut non tres sed unus in homine sit animus, qui totus in corpore toto, et integer in quauis eius parte consistit.

XXXVII.

Huius facultates, praeter eas quas cum brutis communes habet, duae sunt, intellectus et uoluntas, quae nec a se inuicem, nec ab anima re ipsa scernuntur. Omnium autem primo cognoscit intellectus res eas, quae primo et maxime sensibus percipiuntur, qualia sunt singularia communium accidentium; ex quibus et alijs singularibus communes notiones, tanquam adaequata sibi obiecta colligens, scientias ex earum connexionem constituit.


XXXVIII.

Agentem intellectum, ab eo quem possibilem uocamus re ipsa distinctum, non concedimus. An uero dentur aliqua species intelligibiles, diuersae ab actuali cognitione, aut phantasmatum inspectione, quae in ipso intellectu post earum apprehensionem resideant, admodum est obscurum. Nos sane de his idem quod de formis sensibilibus dixerimus, ac proinde unicam tantum in homine memoriam, quae sensatorum phantasmata reseruat, concedimus, nisi forte illum intellectus habitum, ex frequenti rerum cognitione aut forti apprehensione comparatum, quo inspectis singularum formis, magna facilitate communes notiones colligere potest, *καταχρηστικῶς* intellectus memoriam uocemus.

Appen

*Appetentes hominis facultates duae sunt, quarum una sensuum cognitio XXXIX.
ne, altera ratione dirigitur. Illa, quae in concupiscibilem et irascibilem di-
uiditur, animalis appetitus dicitur, qui licet libertate careat, ac impetu
naturae apprehensionem sensus sequatur, ratione tamen et uoluntate coër-
ceri potest. Haec autem, quae ratione ducitur, apprehensionem intellectus ita
sequitur, ut tamen libertatem electionis, quae suarum actionum plenum ha-
bet dominium, non amittat: nec quicquam eorum quae sub deliberationem et
electionem cadunt, necessitate coacta concupiscit.*

Laus Deo Virginitatis matri.



150